

ARCTOS

ACTA PHILOLOGICA FENNICA

NOVA SERIES

VOL. III

HELSINKI 1962 HELSINGFORS

INDEX

Patrick Bruun	The Christian Signs on the Coins of Constantine	5
Michael Ginsburg	The Hellenistic <i>προσβολή</i> and the <i>prosbul</i>	37
Iiro Kajanto	On the Problem of »Names of Humility» in Early Christian Epigraphy	45
Eino Mikkola	Die präpositionale Hypostase, Apostase und Metabase im Lateinischen, Griechischen und Altindischen	55
Henric Nordberg	On the Bible Text of St. Athanasius	119
Paavo Numminen	Severa Mater	143
Päivö Oksala	Das Aufblühen des römischen Epos. Berührungen zwischen der Ariadne-Episode Catulls und der Dido-Geschichte Vergils	167
Teivas Oksala	Catulls Attis-Ballade. Über den Stil der Dichtung und ihr Verhältnis zur Persönlichkeit des Dichters	199
Jaakko Suolahti	The Consul: — — — — . N. CARVE — — in 458 B.C.	215
Henrik Zilliacus	Anecdota sepulcralia	229

SEVERA MATER

P a a v o N u m m i n e n

Ita fere sentire consuevimus patrem liberos constantibus rationibus educare, licentia prohibere, verbis, si opus sit, verberibus castigare, matrem severitatem patris cum innata quadam lenitate temperare. Eandem consuetudinem etiam apud veteres fuisse cum ipsi arbitramur, tum scriptores Romani testantur. Nam ita dicit Seneca (*de provid.* 2, 5): *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari iubent liberos ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos et sudorem illis et interdum lacrimas excutiunt; at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam contristari, numquam flere, numquam laborare.*¹ Comici vero narrant matrem iussis vel praeceptis patris clam adversari, filios etiam peccantes adiuvare: Plaut. *Cas.* 62 *hinc adulescentem peregre ablegavit pater; / sciens ei mater dat operam absenti tamen;* Ter. *heaut.* 991 *nunc aliud specta: matres omnes filiis / in peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria / solent esse.*

Sed cum de huius modi rebus agitur, semper memoria tenendum est illud, quod Iulium Caesarem in senatu dicentem facit Sallustius Crispus (*Cat.* 51, 35): *sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt.* Nam neque viros neque feminas omnes eodem modo formatos esse quivis, qui vitam cotidianam satis cognoverit, facile fatebitur. Quod ad mulieres attinet, saepe, ut opinor, mater patre mortuo vel absente bene et constanter filios educavit,² interdum difficilior fuit. Nam videntur filii praetextati tutelam matrum duram existimavisse. Ita enim dicit Horatius (*ep.* 1, 1, 20—22):

ut nox longa quibus mentitur amica, diesque

¹ Paulo aliter *pia mater* apud Horatium (*ep.* 1, 18, 26): (*dives amicus hominem prodigum regit ac veluti pia mater / plus quam se sapere et virtutibus esse priorem / volt.* Mater scilicet amantissima sperat filium longius progressurum quam parentes potuissent; illa autem quae sunt de 'sa-piendo' et 'virtutibus' ad divitem amicum, non ad matrem pertinent. Cf. HEINZE (KIESSLING-H. comm. 1957) ad locum.

² De severa matre (*Hor. carm.* 3, 6, 39) infra agitur (p. 163 s.).

*longa videtur opus debentibus, ut piger annus
pupillis, quos dura premit custodia matrum . . .¹*

Cicero autem de lugentibus haec narrat (Tusc. 3, 64): *pueros vero matres et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab iis factum est aut dictum, plorare cogunt.* (Eius modi luctum, quem quasi debitum putant homines, Cicero sapientium non censet esse.) Coniunguntur hic matres et magistri, nam Cicero videlicet utrosque existimat interdum parvi animi esse.

Praesertim vero quidam eorum qui inter poetas Romanos clarissimi habentur, Catullus, Lucretius, Horatius, de quo iam dictum est, severam matrem descripserunt, sive illa saevissimis tyrannis similis fuit sive ut benevola ita gravibus et constantibus rationibus liberos regens et educans. Agitur primum de dea alienigena, deinde de muliere Romana.

Catullus Veronensis carmine clarissimo (signatur LXIII) adulescentem Attin mari emenso — ex Europa scilicet venerat — furenti rabie stimulatum, ut dicit poeta, facit in opacas silvas properantem et ibi membra virilia silice — ita fortasse abhorrebat ab hominum more atque cultu, ut cultrum a fabro factum adhibere noluerit — praecedentem, dein tympano Cybebes sive Cybeles matris capto comites — una per mare vecti erant — adhortantem, ut sine mora secum ad nemora deae festinanter currant; totum illius comitum numerum, thiasum vocat poeta, ululantem et anhelantem, tympanis crepantibus ad domum Cybebes pervenisse ibique omnes lassos sine cibo quieti se dedisse. At postero die Attin, cum somnus eum animi furore liberavisset, facti vehementer paenituisse eique in mentem venisse patriae, vitae pristinae, hominum societatis, quibus rebus se in reliquum tempus privatum intellexit. Quamquam enim ad litus maris venerat, ut oculos ad eam partem dirigeret, ubi patriam esse arbitrabatur, tamen nulla eius modi cogitatio animum attigit, ut posset ministerio Cybeles relicto in patriam redire; virilitate adempta scilicet putabat apud suos nullo in honore se futurum. Vinculum, quo ad sacra inhumana religabatur, nullo modo rumpi posse intellegebat.

¹ HEINZE ad hunc locum: »Als drückende Last empfindet der Knabe, dass er nach des Vaters Tode der weiblichen *custodia* seiner Mutter als strenger Erzieherin sich fügen muss, bis er mit vierzehn Jahren *pubes* und somit der Tutel ledig wird.« Illud vero Senecae (Consol. ad Marc. 24) *pupillus relictus sub tutorum cura usque ad annum XIV fuit, sub matris tutela semper Heinze putat argutias esse rhetorum.* Si ita est, illa 'tutela matrum' sic fuit usitata, ut in proverbii consuetudinem venerit.

Sed cum maestus — non maesta, quamquam sexus muliebris illum virum exsectum fuisse putat Catullus — de his rebus secum loqueretur, accidit, ut dea aliquos eius verborum sonos audiret. Quae cum nullam contumaciam pateretur, indignata alterum ex leonibus, qui ad currum eius iuncti erant, resolutum iussit frementem et mugientem, latera cauda verberantem, iubam horride quatientem ad illum famulum suum ire, ille autem, cum bestiam saevissimam videret appropinquantem, demens in nemora fugit. Repentino visu perterritus iterum insanire coepit. Ita per totam vitam famulus fuit deae crudelissimae.

Quibus rebus adductus ille Attis illud fatale iter ingressus sit, de ea re Catullus nihil narrat. Fortasse adulescens temerarius quibusdam superstitionibus captus vel etiam a fanaticis sacerdotibus incitatus, ut sunt iuniorum mentes mobiles et infirmae, nullo ad deliberandum spatio dato, se ad eiusmodi res praecipitavit, e quibus expediri non poterat. Putabat etiam ipse se furere, interdum tamen per breve tempus sana mente esse (57). Illa autem mater, quemcumque illecebris irretiverat, omnibus rationibus impeditum tenebat. Fuerunt etiam posterioribus temporibus homines nimis creduli, qui quibusdam novis doctrinis incitati sedibus patriis relictis ad civitates prope orientem solem sitas migraverint et cum deceptos se esse cognovissent, redire non potuerint a leonibus quorundam patrum vel matrum prohibiti.

In toto Catulli carmine Cybele non mater nominatur nisi semel (v. 9). Quoniam constat Cybelen vel Rheam esse matrem deorum sive eam Magnam Matrem, quae a populis ad orientem solem habitantibus colebatur, dici potest Catullum eius modi matrem descriptsisse, quae saevissimis tyrannis simillima est, nulla humanitate imbuta.¹

Alter poeta, eiusdem aetatis Catullus, Lucretius Carus, praeclarissimus ille quidem, carmine, quod inscribitur »De rerum natura», idem numen inducit. Nam in media fere parte libri secundi (vv. 598—651) scilicet ut animos legentium multis rebus physicis sagacissime tractatis fortasse iam fatigatos poetico quodam colore oblectet neque tamen a rebus gravibus deliberandis revocet, Magnam Matrem describit, qualis sit, quibus modis

¹ Alius generis fabulam de Attide narrat Ovidius (*fast. 4, 223 ss.*), veteriorem, ut arbitror, et notiorem. Attin, Phrygem puerum, casto amore vinxisse deam, et cum illa eum sibi servari vellet, ut sua tempa tueretur, illum iuravisse se semper puerum futurum. Cum tamen cum nympha quadam coisset atque eius culpae eum paeniteret, testiculos sibi praecidisse; exemplum eius ceteros deae ministros secutos esse. Hanc fabulam puto magis ad deos et sacra eorum, minus ad hominum mores pertinere quam illam, quae a Catullo narrata est.

a Graecis et Romanis colatur, atque exponit, quid de eius modi rebus homini sapienti et superstitionibus libero iudicandum sit.¹

Sed quamquam, ut supra dixi, eadem aetate ambo hi poetae vixerunt, tamen longe aliter de eadem re dixerunt. Communia sane sunt amborum, de quibus agitur, carminum quae vulgo de Magna Matre vel Cybele dicebantur et putabantur, illa dico quae sunt de mutilandis aut mutilatis viris, de leonibus ad currum iunctis, de musicae instrumentis et eorum strepitu² itemque nomina quae ad Phrygiam aut montem Idam spectant. (Quo modo autem de moribus vel indole deae sribentes illi poetae vel consentiant vel dissentiant, infra disseritur, vide p. 154).

Iam ipsa loca, quibus hanc deam coli dicunt Catullus et Lucretius, inter se longe diversa sunt. Nam in regionibus remotis, silvis et nemoribus opacis, ubi sedes et latibula ferarum, aprorum scilicet et cervorum (53, 72) sunt, aut etiam in altis montibus, ubi solum nive oppletum est (70), procul ab hominibus sive doctis sive rudibus, nisi qui ibi furiosi deae ministri tumultuantur, Cybele, dea illa Catulliana versatur, at Lucretius Magnam Matrem depingit per urbes frequentes et celebres curru vehentem, mira quadam numinis maiestate praeditam, hominibus multis modis numen eius venerantibus (608, 9; 622—628).

Dea aliter alias nominatur: apud Catullum semel, ut dixi, *mater* (9), *Dindymena domina* (13), *dea domina Dindymi* (91), at *Cybele* vel *Cybebe* octies, apud Lucretium *mater* (615, 639), *magna mater* (640), *magna deum mater* (598), *divina mater* (609), *Idaea mater* (611), *diva* (623, 641), *tellus* vel *terra* (603), quae simul est dea et corpus mundi, Cybeles nomen numquam adhibetur.

Si vero quaesieris, quo modo Lucretius, cum censeat deos securos vitam agere longe seiunctos ab hominum rebus nihil eas curantes (646—651), tamen inducat deorum matrem oculis hominum spectandam et hominibus moderantem, primum ipse poeta respondit, cum haec scripsit (655—660):

*hic quis mare Neptunum Cereremque vocare
constituet fruges et Bacchi nomine abuti
mavolt quam laticis proprium proferre vocamen,
concedamus ut hic terrarum dictitet orbem
esse deum matrem, dum vera re tamen ipse
religione animum turpi contingere parcat.*

¹ Quae pars carminis Lucretii in fine huius commentationis exscribitur, vv. 598—9 tamen p. 148.

² Sunt apud Catullum *tympanum* (vel *typanum*), *tympana*, *terga tauri* vv. 8—10, *cymbala* 21, 29, *tibicen Phryx* 22, apud Lucretium 618—620 *tympana*, *cymbala*, *cornua*, *tibia*.

Ad haec poetae verba unum tamen admonendum est. Non similia mihi videntur illa quattuor, de quibus loquitur. Nam ut Neptunus pro mari, Ceres pro frugibus aut pane, Bacchus pro vino positus tritae admodum loquendi formulae erant, ita orbis terrae, in cotidiano saltem sermone, haud scio an umquam deorum mater dicta sit, atque ipse poeta latius hanc translationem patere ipso carmine satis ostendit. Nam Magnam Matrem curru per urbes vectam describens simul gravissimas res tanta ingenii vi profert, ut perculis paene mentibus audiamus.

Hoc loco, cum de Lucretio deos tractante agitur, mihi videtur utile esse admonere illud, quod de ambivalentibus quibusdam sensibus scripserint nostrorum temporum viri docti, praetclare in Carum Lucretium cadere. Nam is — e.g. —, cum vehementer contendit satyros, nymphas, faunos, Pana non esse (IV, 580—594), illos vero deos vel semideos ab rura colentibus eo consilio factos esse, ne suae ipsorum sedes sine aliquo honore essent, eo ipso temporis momento inducit faunos nocte tumultuantes vel tibiis dulciter canentes et Pana describit tanta poetae vi et oris suavitate, ut ille praesens ante oculos obversari videatur ac sonus eius arundinis aures permulcere:

cum Pan

*pinea semiferi capit is velamina quassans
unco saepe labro calamos percurrit hiantis,
fistula silvestrem ne cessen fundere musam.*

Paulo aliter poeta res quae ad inferos esse et fieri putantur tractat. Nam cum hoc persuadere vult hominibus neminem in barathrum vel atra Tartara mitti, quia materie omnium opus sit, ut postera saecla possint crescere (III, 965 ss.), non tamen fabulas quae sunt de Tantalo, Tityo, Sisypho, aliis, qui ad inferos gravissimas poenas pendere dicuntur, inanes esse iudicat sed eas, ut ita dicam, in suam rem vertit. Nam illos homines — si quidem homines existimandi sunt — non ad Acheruntem in morte cruciari sed in vita variis cupiditatibus exerceri gravissimis verbis usus demonstrat. Tantulum enim esse, quem deorum metus in vita semper urgeat, Tityon, quem in amore iacentem exedat angor quasi volucres lacerent, Sisyphum, qui a populo fasces et secures petat sed semper victus recedat quasi saxum volvat adverso monte semper tamen relapsurum, puellis vero aquam in pertusum vas congerentibus eos homines significari, qui vitae fructibus numquam expleantur. Ita poeta istius modi fabulis non ad animos hominum terrendos, sicut ad id tempus

adhibitae erant, sed ad mores eorum vehementer vituperandos et corrigendos utitur.

Sed priusquam exponam, quo modo illam de Magna Matre fabulam Lucretius adhibuerit vel quam rem ea significari putaverit, primum mihi explicandum est quem ad modum illam deam cum physicis rebus, quas priore secundi libri parte tractavit, conexuerit. Ita fere cogitationibus ductis ex physicis ad divinas res transit.

Magna vi confirmat (581 ss.) nihil esse, quod ex uno principiorum genere consistat, sed permixtum esse omnium corporum semen. Quanto plures quaeque res possideat potestates, tanto plura habere eam principiorum genera. Terram vel humum — tellurem dicit poeta noster — habere in se omnis generis prima corpora; ex iis quae terra contineat principiis mare renovari et ignes oriri, fruges et arbusta hominibus extolli, frondes et pabula feris suppeditari. Hoc postquam poeta narravit, ita de terra versibus dicit (598, 9):

*quare magna deum mater materque ferarum
et nostri genetrix haec dicta est corporis una.*

Tribus igitur modis poeta putat terram esse matrem: deorum, ferarum, hominum. Sed quae de his rebus dixerit si quis accuratius investigaverit, facile ei apparebit causas Lucretium pulchre declaravisse, cur terra ferarum et hominum mater diceretur, sed de deis nullam rationem reddidisse. Nam cum homines terrae frugibus, ferae pabulo alantur, utrique terrae fontium et fluminum aqua recreentur, facile intellegitur et homines et feras quod nati sint et vivant terrae debere, sed deorum longe alia est ratio, si quidem Lucretii doctrinam sequemur.

Nam ita Lucretius de deis sentit (V, 146—154):

*Illud item non est ut possis credere, sedes
esse deum sanctas in mundi partibus ullis.
tenuis enim natura deum longeque remota
sensibus ab nostris animi vix mente videtur;
quae quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
tactile nihil nobis quod sit contingere debet;
tangere enim non quit quod tangi non licet ipsum.
quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
dissimiles debent tenui de corpore eorum.*

Quoniam dei sedes vix habent in ullis mundi partibus et natura eorum ita remota est ab nostris sensibus, ut tangi non queant, non est consentaneum terrae frugibus deos vesci aut omnino ex iis principiis constare, quae terra condantur. Videtur mihi poeta opinionem Graecorum de Matre Terra, quae eadem mater erat deorum, accepisse, sed ut hanc opinionem cum doctrina sua, quae est de physicis rebus, concenteret, rationem attulisse, cur terra mater esset etiam ferarum et hominum. Sed quorum numinum opiniones Graeci et quae aliae gentes in Asia habitant commiscuerint de Cybele et Magna Matre dicentes, longum est hoc loco disserere.

At apud Lucretium non solum mater est haec dea sed etiam terra, et sane, ut supra, tribus modis. Nam primum terra est sive humus, ex qua fruges et arbusta crescunt (594—597); huic rei etiam illud est testimonio, quod Phrygias catervas ideo dicit (612, 3) poeta Matrem deam comitari, quod Phryges primum coepissent fruges colere (quae opinio re vera similitudini vocum est tribuenda). Deinde illa dea terra vel tellus esse putatur, i.e. corpus caeli sive mundi, nam cum ipsa terra sit, in terra (i.e. humo) sistere non potest (603). Hac re in alto curru posita (601) et sublime per magnas urbes invecta magno honore et maiestate afficitur (624—628): illud etiam, quod sublime, i.e. grande et quasi excelsum, orationis genus in hac Lucretii carminis parte apparet, huic rei debetur. Tum terra est sive civitatis territorium, quin etiam illa ipsa patria, quam pluris esse quam ipsum solum Romani senserunt. Nam ipsa loci natura bene munitae sunt urbes eximiis locis, ut dicit poeta, i.e. in excelsis collibus sitae (607)¹. Propter hanc rem summum caput deae murali corona ornatum est, quo insigni apud Romanos is donabatur, qui obsessae hostium urbis murum primus concenderat (606). Item iuvenibus praedicit diva, ut armis et virtute patriam terram defendere parati sint (641, 2). Ita dea et, cum terra sit, loca praebet idonea ad hostium impetus repellendos et, cum mater sit, praeceptis iuventutem instruit ad communem salutem pertinentibus.

Praesertim ea res, quod matrem et patriam terram coniunxit poeta, Romanorum propria videtur esse. Venit in mentem Tullii Ciceronis, aequalis fere Lucretii, in senatu Romano adversus Sergium Catilinam haec dicentis: *Nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit* (or. I § 17). Sed

¹ In hoc versu, *eximiis (ex imis OQ) munita locis quia sustinet urbes ὑπαλλαγὴν* putat esse BAILEY: »the epithet is transferred from the cities to the deity»: ita vertit: »because embattled on glorious heights she sustains towns». Ita intellego: mater sive terra munita est; *eximiis locis* ante omnia ad *munita* accedit, deinde etiam ad *sustinet*.

utrum Cicero 'parentem' cum diceret, patrem an matrem spectaverit, non appareat. Puto matrem, quod feminini generis est 'patria'. Sed utcumque est, coniuncta inter se videntur esse apud Lucretium illa 'patriam terram defendere' et 'parentibus praesidio decorique esse' (642, 3). Omnia haec efficiunt, ut versus Lucretii ad animos iuvenum corroborandos multum valeant atque ipsi iuvenes, quid patriae et parentibus debeat, graviter admoneantur. Sed si quis interroget, quo modo Lucretius, homo Epicureus cum sit, eius modi res pronuntiare potuerit, respondeam Lucretium non solum hominem fuisse Epicureum sed etiam virum Romanum¹. Ancipitibus vel ambivalentibus quibusdam sensibus, ut dixi, distractus modo hanc modo illam personam sibi induit, cum haec quae Romanus hic scripsit, paulo post (vv. 644, 5) Epicureus quasi abstergens delet.

Lucretium fuisse virum patriae amantem neque alienum a re publica iam exordio primi libri appareat. Nam postquam a Venere petivit, ut Martem oraret, ut Romanis placidam pacem daret, ita scribit (I, 41—43):

*nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
possumus aequo animo nec Memmi clara propago
talibus in rebus communi desse saluti.*

Et sibi ipsi cordi esse salutem patriae et Memmum opera rem publicam adiuturum poeta hic testatur².

Sed longius iam progressus sum, itaque paululum regredi me oportet. Narrat Lucretius Graecorum veteres poetas cecinisse de Magna Matre curru vehente et biiugos leones agitante. Sed quaeri potest, utrum poeta Romanus ea solum, quae oculis videntur aut videri putantur, currum scilicet, leones iunctos, comitum catervas, tympana et cymbala et cornua, turbas salutantium, a Graecis acceperit an etiam ea, quae animi cogitatione comprehenduntur, sensum scilicet, qui toti fabulae et singulis eius partibus tribuitur, ex eodem fonte hauserit. Fontem Graecae originis communem Varronis, Ovidii, Lucretii

¹ Cf. LEONARD et SMITH (comm. ad locum, Madison 1942): Ideals implied in II: 641—643 are essentially Roman, the duty of fighting for one's country being at odds with Epicurean quietism.

² De versibus paulo post sequentibus (I, 50—51) *quod superest, vacuas auris animumque sagacem semotum a curis adhibe ad veram rationem*, ita dicit BAILEY (comm. Oxford 1947, 1950 p. 64): »Memmius is adjured to leave politics and devote a mind 'freed from all care' to philosophy». Si ita intellegi vult verba sua Memmum omnia officia publica deponere debere, ut se totum philosophiae dedat, errat: sufficere putabat, ut opinor, Lucretius, si Memmius aliquam partem otii philosophiae studiis tribueret.

putat fuisse BAILEY (p. 901), id quod etiam vox 'docentes' (602) ostendat, atex veterioribus viris doctis BOCKEMUELLERUS audacter negat veteres Graecorum poetas eius modi atque Lucretius fabulae rationes reddidisse, Lucretium autem suas ipsius cogitationes illis supposuisse.¹ De hac re infra (p. 160) plura dicentur.

Varronem vero, cuius iam mentio facta est, illam de Magna Matre fabulam hoc modo intellexisse narrat Augustinus (civ. VII, 24):

Nam et ipse Varro quasi de ipsa turba verecundatus unam deam vult esse Tellurem. »Eandem, inquit, dicunt Matrem Magnam; quod tympanum habeat, significari esse orbem terrae; quod turris in capite, oppida; quod sedens fingatur, circa eam cum omnia moveantur, ipsam non moveri. Quod Gallos huic deae ut servirent fecerunt, significat, qui semine indigeant, terram sequi oportere; in ea quippe omnia reperiri. Quod se apud eam iactant, praecipitur, inquit, qui terram colunt, ne sedeant; semper enim esse quod agant. Cymbalorum sonitus ferramentorum iactationem ac manuum et eius rei crepitum in colendo agro qui fit significant; ideo aere, quod eam antiqui colebant aere, antequam ferrum esset inventum. Leonem, inquit, adiungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant nullum genus esse terrae tam remotum ac vehementer ferum, quod non subigi colique conveniat.»

Augustinus id volebat scire, utrum unum an plures deos putavissent esse homines se veteriores. Sed in Varronis verba inquirenti mihi haec fere apparuerunt. Postquam Tellurem dixit appellari Magnam Matrem, non minus octo profert fabulae locos, quorum tamen omnes ad terram, nullum ad matrem spectare vult. Terram fortasse iisdem tribus modis quibus Lucretius accipit, sed minus dilucide illi modi apparent. Nam illa dea primum (1) est orbis terrae, rotundum enim tympanum manu tenet; deinde (2) oppida sustinet, non tamen, sicut apud Lucretium de certa civitate vel regno cogitatur, quod tutari incolae debeant. Tum (3) immota est terra, sed utrum caeli corpus putandum sit in aere pendens an solum quod, cum ferae currant, homines incedant, arbores ventis agitantur vel etiam cadant, non moveatur sed loco maneat, non appetet; equidem hoc malim quam illud. Terra sive humus etiam (4) divitissima est et omnia continet, nam eam etiam viri semine virili orbati sequi debent.

Reliqui loci laborem agricolarum cotidianum illustrant. Nam (5) rura coalentibus numquam otiosis esse licet, semper habent quod agant. Semper (6)

¹ Ita dicit BOCKEMUELLERUS (comm. 1873 ad v. 604 *adiunxere feras quia . . .*): »Quia giebt wie *docentes* das Motiv, welches die Dichter nach Ansicht des Lucr. zur Wahl dieser Attribute veranlasste; die Autoren selbst haben sich darüber nicht ausgesprochen und würden (*veteres*) gegen die Unterstellungen Protest erhoben haben.»

opus facientes manus et ferramenta iactant, ut crepitus audiatur; qui sonitu cymbalorum significatur. Cymbala (7) ex aere facta sunt, quod instrumenta agricolarum, antequam ferrum inventum erat, ex aere fiebant. Postremo (8) sicut leones, violentissimi bestiarum, domiti et mansuefacti sunt, ita nullum genus terrae tam asperum aut tam remotum (procul situm) est, ut non subigi et coli possit.

Has similitudines si quis consideraverit, facile ei persuadebitur parum naturales alias earum esse, alias stupidas vel pueriles. Sicca et sobria sunt omnia, eiusmodi hominum propria, qui nihil fere vident nisi quod cotidie agere debent. Paulo tamen graviores res attinguntur, cum in fine de leonibus et simul de fera terra subigenda agitur et de hominum studio semper ardenti, animo ad nova pericula semper parato cogitatur.

Sed illo ipso loco, quo de leonibus ad currum iunctis agitur, quomodo inter se differant Lucretius et Varro, optime cognoscitur. Nam cum diva pro homine posita sit, leonibus vero apud Varronem terra aspera, apud Lucretium fera hominum proles demonstretur, ille hominem facit difficillima naturae impedimenta superantem, hic liberos educantem, ergo quodam modo suum ipsius ingenium colentem et erudientem, ut validissimae cupiditates et maximae animi perturbationes coerceantur. Ita Cybelen — nam ea putanda est dea illa Lucretiana — poeta existimat ad mores hominum conformandos incumbere eodem fere modo quo vulgo putantur Apollo et Mercurius.

Num quisquam hoc quod de Lucretio dixi alienum esse ab homine Epicureo censem? Eodem fere modo, sed multo clarius, initio quinti libri (vv. 13—54) Lucretius Epicureum se praestat. Nam, ita fert eius sententia, Ceres dicitur hominibus fruges, Liber vinum instituisse. Poterant tamen homines etiam sine illis rebus vivere — glandibus scilicet et aqua — sed bene non potest vivi sine puro pectore, quam rem homines Epicuro debent. Itaque illius dona pluris aestimanda sunt quam Cereris aut Liberi. Hercules vero multas et saevas bestias delevit, sed illae tam remotis locis habitaverunt, ut otiosis hominibus non multum nocerent. Et quamquam ille multa portenta trucidavit, tamen hodie in profundis silvis et altis montibus magni bestiarum greges homines terrent. Sed quae verba adhibet ut homines propter hanc rem consoletur, sententiam Epicureorum vel optime indicant:

quae loca vitandi plerumque est nostra potestas.

Putat scilicet neminem tam ardua et remota loca ultro petiturum nisi forte eius modi homines qui magnis cupiditatibus agitentur et exerceantur. Non

magnam igitur Herculi gratiam deberi. At Epicurum, cum — dictis, non armis — sollicitos homines curis, timoribus, omnis generis vitiis liberaverit, deis parem esse.

Puto igitur Lucretium, si nostris temporibus viveret, illos audaces homines, qui astronautae vocantur, qui remota caeli corpora occupare conantur, minoris facturum quam viros sapientes, si qui essent, qui homines docerent tranquille et feliciter vivere.

Sed quibusnam rationibus illam matrem Lucretius putabat prolem suam tractare, cum efferam molliorem redderet? De hac re quaerens animadvertis viros doctos hunc locum qui est de matre et iunctis bestiis non recte intellexisse, sed illam matrem multo leniorem putavisse quam ea ipsi Lucretio visa est. Nam illos versus (604, 5) in hodiernas linguas transtulerunt his qui sequuntur modis.

DIELS (1924): »Bestien fügten sie zu, weil selbst der verwildertste Nachwuchs / Sanfterem Dienste sich weiht, wenn Mutterliebe ihn zügelt».

LAGRANGE et BLANCHET (quo anno non appareat): »Les animaux furieux soumis au joug signifient que les bienfaits des parents doivent triompher des caractères les plus farouches».

BAILEY (1947): »To the car they yoked wild beasts, because, however wild the brood, it ought to be conquered and softened by the loving care of parents».¹

Rectius tamen Suecorum lingua JACOBSSON (1903): »Därmed att lejonens spann tilldiktades ville de visa, / att af komlingars vildhet af fostrande tuktan kan tämjas». (Putat igitur feritatem castigando molliri.)

Putaverunt igitur viri docti, excepto JACOBSSONIO, Lucretium ita fere sensisse: Parentes magno in liberos amore affecti tanta benevolentia eos tractant, ut animi liberorum, quamvis feri sint, vincantur et moliantur. Ita mihi videntur e verbis, non e re iudicavisse. Mea quidem sententia verba scriptoris interpretanda sunt, sed non solum singula per se spectanda, verum etiam sensus

¹ Eodem fere modo etiam veteriores: MUNRO apud BOCKMUELLERUM 1873: »*molliri* to be tamed and softened by the kind offices of parents.» BINDER 1855—1920 (Langenscheidt): »Tiere der Wildnis tat man hinzu, zu bedeuten, es werde / Selber das wildste Geschlecht durch Liebe der Eltern gezähmet.»

Quidam virorum doctorum illos versus (V, 1017, 8) afferunt: *et Venus imminuit viris puerique parentum / blanditiis facile ingenium fregere superbum* dicentes illic contrariam rem fieri (ERNOUT et ROBIN comm. anno 1925: »Au livre V 1017 ce sont les enfants au contraire qui sont censés adoucir par leurs caresses le naturel farouche de leur parents», item fere LEONARD et SMITH, comm. Madison 1942). Minime tamen hi loci sunt comparandi, nam quinto libro de progressu generis humani iam pridem facto agitur, in secundo de cotidianis rebus singularum familiarum.

probandum, qui aliquo verborum conexu efficiatur, deinde magna cura considerandum est, quo modo is ad reliquam scriptoris sententiam conveniat. Hic tamen de quo agitur locus primum e re, deinde e verbis investigandus mihi videtur.

Primum quidem dicendum est illum sensum, quem huic loco tribuerunt plurimi virorum doctorum, in hanc divam, quam Lucretius tota illa poetica, ut ita dicam, secundi carminis parte describit, minime cadere. Nam ut haec Magna Mater Lucretiana multum abhorret ab illa Catulliana Cybele, dea crudelissima, de qua initio actum est, ita minime est hominibus facilis vel suavis. Tyranni persona exuta admirabilem huic deae induit Lucretius excelsae maiestatis personam: terribilem eandemque benevolam hanc deam senserunt esse homines. Hoc quod dixi vel maxime ex his indiciis appareat.

Dea mater pedem in terra non ponit sublime vehens (603), cum hominibus commercium non habet, quos non verbis sed tacita salutat (625), ipsa maximis honoribus a vulgo salutatur (626—8), omnium mentes metu complet (609). Etiam comitatus eius terribilem speciem praebet: minantia sonant cornua, tonant tympana et cymbala, stimulat mentes tibia (618—20); tela quae portantur furoris signa sunt parata ad timorem vulgo iniciendum (622, 3); Galli exemplum dant poenae ingratis hominibus destinatae (614—7); horrendi sunt etiam Curetes cruore completi terrificas, ut dicitur, cristas quatientes (629—632).

Num cogitari potest huiusmodi divam imaginem esse matris officiosae liberis blandientis? Nonne potius dea habenis¹ leones iunctos coercens matrem severam demonstrat prolem officio et disciplina tenentem? Quae in compluribus linguis trita quaedam loquendi figura est, infantes et adulescentes frenis teneri², eam poeta quasi oculis spectandam imaginem verbis pinxit.

Quaeri potest etiam, possitne e testimoniosis posteriorum scriptorum indagari, quid Lucretius hos de quibus agitur versus scribens senserit aut saltem quo modo illi eius verba acceperint. Parum tamen hac via res elucebit. Nam Vergilius (loco qui infra adn. 1 commemoratur), cum almam vocat parentem Idaeam, non videtur de matre liberos educante cogitavisse, potius ad terram matrem omnia alentem spectavisse. Ovidius vero (fast. 4, 215—8), cum haec scripsit (loquuntur inter se poeta et Erato musa):

¹ Habenae vel frena, quamquam a Lucretio non nominantur, tamen cogitanda sunt, nam conferendus est locus Vergilii (Aen. 10, 253) *alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi, / turri-geraeque urbes, biugique ad frena leones.*

² E Latina lingua hoc potissimum exemplum proferam: Cic. Phil. 13, 20 *illi exsultanti tamquam frenos furoris iniecit.* Præsertim vero adiectivum 'effrenatus' hanc translationem ostendit.

*desierat, coepi: 'cur huic genus acre leonum
praebent insolitas ad iuga curva iubas?'*
*desieram, coepit: 'feritas mollita per illam
creditur; id curru testificata suo est',*

quamquam sine dubio illum Lucretii locum in animo habebat, non tamen dixit leones domitos ad liberos educandos spectare neque quibus modis aut rationibus feritas per Magnam Deam mollita esset. Si tamen feritate ad prolem humanam traducta quemvis e turba hominum sumptum interrogaveris, quo modo mollitam existimet, potius, ut opinor, id gravioribus vel severioribus aut saltem firmis et constantibus consiliis factum respondeat quam lenitate aut blandiendo. Ita vulgo existimari puto etiam nostris temporibus, quamquam qui de liberis erudiendis scripserunt — παιδαγωγοὶ vel Germanice 'die Pädagogen' nominantur — molles admodum prolis tractandae rationes adamaverunt.

Sed iam e verbis videndum est. 'Officii' nomine viri docti eius modi bene factum significari putaverunt, quod quis in quem confert — sive quod amorem ostendere vult sive ut eum sibi conciliet —, velut his locis: Cic. off. 1, 48 *etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt?* Caes. civ. 1, 34 (legatos Massilienses) *Pompeius erat adhortatus, ne nova Caesaris officia veterum suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent.* Genetivus 'parentum' illis visus est subiectivus, eum demonstrans, qui illud officium vel beneficium confert (sicut illo Caesaris loco). Sed haec vis substantivi 'officium' et genetivi ad id accendentis ut non est rara ita non sola, neque, si in sententiam scriptoris non quadrat, accipienda est. Tum aliam viam ingredi debemus.

Consideranti, quem sensum hic habeat 'officii' nomen, in primis eius modi loci praesto sunt ut est Caes. Gall. 4, 1, 9: *Neque multum frumento sed maximam partem lacte atque pecore vivunt (sc. Suebi); quae res et cibi genere et cotidiana exercitatione et libertate vitae, cum a pueris nullo officio aut disciplina assuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant, et vires alit et immani corporum magnitudine homines efficit,* quem locum recte interpretatur DINTER (comm. ad C., 1890): *officio Gehorsam, disciplina Zucht.* Nam utrobique, apud Caesarem et Lucretium, de pueris officio assuefaciendis et tenendis agi puto. Item dicitur apud Caesarem *in officio continere* Gall. 5, 3, 6: *esse 5, 3, 3: manere 5, 4, 2: tenere 5, 54, 1.* Fortasse etiam ille locus memoria tenendus est Gall. 4, 25, 3 *ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitero.* Nam hic officium non favoris conciliandi causa in quem confertur sed debitum pio animo praestatur.

Duae videntur fuisse res quibus effectum est, ut ille de quo dixi 'officii' nominis sensus viros doctos fugeret: una, quod numerum pluralem adhibuit Lucretius, altera, quod genetivum ei subiunxit, qui existimandus est, ut opinor, obiectivus. Nam in singulari numero ponitur 'officium', cum debitam oboedientiam demonstrat, neque genetivum obiectivum pati videtur.

De genetivo obiectivo tamen dicendum est illum usum in lingua Latina latis admodum limitibus circumscribi ita ut liberrime adhiberi hominibus nostri temporis videatur, e.g. Germanis, ut putat STEGMANNIUS, Fennis non item. De hac re quoniam ille vir doctissimus Grammatica Magna KUEHNERI (II, 1 p. 415, item p. 217, c) luculente disputavit, non habeo cur disseram; illum tamen locum proferre mihi libet: Cic. off. 1, 97 *Sed poetae quid quemque deceat, ex persona iudicabunt, nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque animantium reliquarum.* Hic genetivus 'animantium' non eum demonstrat qui cui aliqua re praestat (i.e. qui quem superat) sed eum cui quis praestat. Ita eius modi substantivum, ad quod genetivum subiectivum accedere quivis putat, obiectivum accepit. Ita non mirandum est etiam ad 'officii' nomen eiusmodi genetivum accedere potuisse.

Inter se comparandi etiam hi videntur esse loci: Cic. inv. 2, 66 *pietatem (appellant) quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat;* Quint. inst. or. 4, 17 *quare in primis existimetur venisse ad agendum ductus officio vel cognationis vel amicitiae maximeque, si fieri poterit, rei publicae aut alicuius non mediocris exempli.* His locis 'officium' aliquid demonstrat, quod debetur; is homo vel ea res cui debetur priore illorum locorum praepositione *erga* adhibita, posteriore loco genetivo posito indicatur.

Quod numerum pluralem 'officiis' adhibuit Lucretius, testes cito grammaticos. Nam narrant voces notionum infinitarum — abstractarum quae hodie dicuntur — non raro in plurali poni, praesertim cum de rebus iteratis vel saepius accidentibus agatur (STEGMANN I, 1 p. 77 s., NAEGELSBACH, Stil. 1905 p. 198 ss.). Ita puto de 'officiis' dici posse etiam tum cum officium vel obseruantiam aut obsequium quis saepius praestiterit. Commemorandus est locus recentioris sane scriptoris Taciti ann. 12, 32, 4 *id quo promptius veniret, colonia Camulodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum.* Hic Taciti et ille Lucretii locus cognati inter se videntur esse, nam utroque de hominibus agitur, qui in officio esse vel coguntur vel docentur¹.

¹ Ad hunc locum FURNEAUX (comm. Oxford. 1907, 1951): »'Imbuere' is constantly used of instruction or habituation, so here of familiarizing the subjects with the due performance of

Sed de diva in curru sedente et biiugos leones agitante postquam nimium iam fortasse locutus sum, concludere debeo. Leonibus putabat Varro regionem remotam et terram feram vel asperam demonstrari, quae tamen hominibus, robustis scilicet et fortibus, subigenda et colenda esset. Lucretius vero divam arbitrabatur imaginem esse matris liberos ita educantis, ut quamvis feri essent tamen erudirentur atque officio et disciplina assuescerent. Hoc non censebat lenibus aut dissolutis consiliis effici, ut plurimis viris doctis visum est, sed certis et constantibus. Severa mater igitur est putanda illa diva Lucretiana: neque immanis et inhumana sicut Cybele Catulliana, neque liberis blandiens aut eorum malis moribus indulgens, ut illa mater Terentiana (p. 143). Has res cum animo conciperet poeta noster, mihi videtur vir Romanus, neque tamen alienus ab Epicuri disciplina fuisse.

Sed non solum de leonibus verum etiam de Gallis scriptores Romani, de quibus actum est, Catullus, Lucretius, Varro, dissentunt. Quo modo illa se castrandi vel exsecandi consuetudo in complurium deorum sacris vel cultibus exstiterit et aucta sit, eorum est perscrutari, qui religiones gentium investigant. Hic tantum quo modo illi hanc rem exposuerint aut quo valere censuerint, dicendum est.

Catullus, sicut initio iam dixi, Attin inducit testes exsecantem — postquam Phrygium nemus citato pede, ut dicit poeta, cupide tetigerit. Quod qui legit, illum adulescentem putat mente captum repentino animi errore motum id facere, sicut p. 145 iam dixi. Si quid aliud spectabat poeta, quam ut describendi causa describeret et hominum mentes horribili quadam re commoveret aut orationem Latinam vel stilum exerceret atque ingenium ostenderet, monere certe voluit adulescentes, ut a perniciosis rebus caverent.

Vulgo putatur — et recte, ut opinor — Catullus, cum hoc de Attide carmen scriberet, Graecum Callimachum secutus esse. Nihilo minus etiam, quid Romani de eius modi rebus sentirent, pulchre ostendit. Eodem modo igitur Graeci et Romani de spadonibus iudicaverunt, nisi forte Romani paulo severiores fuerunt. Ut enim ille Attis per reliquam vitam procul se a domo et pat-

legal duties». Eadem fere sentit JACKSON (Loeb 1951) cum ita vertit: »and to habituate the friendly natives to their legal obligations». Paulo aliter GOELZER, cum (1953) verba Taciti lingua Francogallorum ita interpretatur: »qui devait tenir l'ennemi en échec et ancrer dans l'esprit des alliés le respect des lois». Putant igitur illi per leges hominibus officia vel negotia imponi, quae facienda sunt, hic homines officia (i.e. officium saepius) legibus praestare debere (idem fere quod legibus parere). Sed utcumque est, genitivo non is indicatur, a quo officia vel beneficia favoris conciliandi causa dantur sed cui officia iure vel pietate debentur.

ria afuturum putabat (58, 70 ss.), ita Romani spadones in civium numero vix habebant. Nam Aemilius Lepidus consul (a. 78), ut narrat Valerius Maximus (VII, 7, 6), Genucium quendam, Matris Magnae Gallum, heredem fieri prohibuit, quod is amputatis sua sponte genitalibus corporis partibus neque virorum neque mulierum numero haberet.¹ Semimares apud Romanos pro prodigio habebantur. Ita cum (a. 200) natus esset incertus infans, utrum masculus an femina esset, et alter iam sedecim annorum item ambiguo sexu inventus esset, iussi sunt in mare extemplo deportari (Liv. 31, 12, 6—8.).²

Varro, ut ante dictum est, cum totam de Magna Matre fabulam ad physicas res et agriculturam adiungeret, putavit Gallos, cum semine privati essent, terrae divitias sequi. Ovidius narrat Gallos furiosos factos quod aquam insanam amnis Galli bibissent (fast. 4, 361 ss.); insanentes scilicet se exsecuisse; quare discederent quibus esset cura bonae mentis. Si tamen summam rerum spectes, Ovidius nihil fecit nisi fabulas narravit, interpretandi aut rerum aestimandarum rationem plerumque omisit.

Lucretius vero Gallos, ut supra leones, ad morum doctrinam putat pertinere. Nam qui numen matris violaverint aut ingrato animo in parentes fuerint — duobus modis hic unius generis scelus indicari arbitror — putando esse indignos, qui prolem gignant. Ita poeta, ut leonibus ad currum iunctis docet liberos et adulescentes officio tenendos, ita Gallis attributis ostendit eos graviter puniri, qui officio decesserint. Ad causas igitur, ut ita dicam, consequentia adiungit, id quod omnis morum doctrinae maxime est proprium. Sed nonne potius sit Stoicorum quam Epicureorum, nihil ad rem, nam in primis de iuventute Romana instituenda et confirmando cogitavisse, viri Romani persona induita, Lucretium puto.³

Constat enim Romanos in summis virtutibus habuisse parentes honorare, et eos qui peccavissent poena dignos putavisse. Hoc etiam e scriptis iurisprudentium apparent. Nam dicit Ulpianus (dig. 37, 15, 1—2): *si filius matrem aut*

¹ Dionysius Halicarnassius (II, 19, 4) narrat Romanis indigenis vel ex lege vel ex senatus-consulto non licuisse caerimoniis Magnae Deae interesse, virum Phrygium et mulierem Phrygiam sacris eius numinis praefuisse.

² Idem (27, 38, 6) narrat eiusmodi infantem vivum in arcum conditum provectumque in mare proiectum.

³ In mentem veniunt etiam illa verba Christianis notissima Exod. 20, 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevis super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* vel Pauli ep. Eph. 6, 2—3: *Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi et sis longaevis super terram.* Nam etiam hic terra quin etiam nova patria et parentes coniunguntur, cum iis qui parentes honoraverint, spes profertur feliciter et longe vivendi in terra. Sed plura de eius modi rebus disserere eorum est qui religiones investigant.

patrem, quos venerari oportet, contumelia adficit vel impias manus eis infert, praefectus urbis delictum ad publicam pietatem pertinens pro modo eius vindicet, et item (ibidem 3) indignus militia iudicandus est, qui patrem et matrem, a quibus se educatum dixerit, maleficos appellaverit. Eius modi sceleris convictos igitur putabat Ulpianus e virorum militia dignorum, Lucretius e patrum familias societate excludi oportere.

Post leones et Gallos de Curetibus dicendum est. Ille Lucretii locus, qui est de armata Curetum manu (praesertim vv. 629—31) difficilis sane visus est veterioribus virorum doctorum, sed postquam textu paululum emendato locum pulchre intellexit DIELS et commentario explicavit BAILEY, non est cur de lectione aut de sensu dubitemus. Ita fert sententia poetae: In agmine Magnam Matrem comitante inter Phrygias catervas incedunt armati Curetes, qui etiam Dictaei i.e. Cretenses nominantur. Qui interdum — ita enim illud *si forte accipiendum est* — ludunt vel saltant sanguine laeti (*flaeti* OQ: videntur igitur furiosi ipsi se cultris laniare) capitum cristas terribili modo quatientes; cum fatigati sunt, tranquilli procedunt. Quo valeat sive quid demonstret hic ludus effrenatus, id Lucretius non minus duobus modis exponit.

Nam primum veterem de Saturno et Iove fabulam in animum revocari Curetibus saltantibus censet, quam Hesiodus (theog. 453—500), Ovidius (fast. 4, 195 ss.), alii latius narraverunt. Saturnus fato monitus se a filio regno privatum iri omnes, quos Rhea sive Cybele uxor pepererat, devorabat. Sed Iove nato pater deceptus est. Nam infans in Creta occultus est et circa latenter pueri saltantes ahenea arma pulsabant, ne vagitu parvulus proderetur. Hanc veterem rem Lucretius illa Curetum effrenata saltatione demonstrari putat. Sed cur vulneribus illatis sanguine respersi sint, non appareat, nam illo puerorum ludo vix quemquam vulneratum esse credibile est. Ovidius vero (4, 210) Curetes et Corybantes commiscet, dicens illis iam pro galeis cymbala atque pro scutis esse tympana.

Sed non solum ad sacra et deos spectare illos Curetas putat Lucretius verum ad illam educandi rationem pertinere, de qua iam saepius locutus sum. Nam alteram explicationem addit, qua docet divam praedicere, ut armis et virtute patriam terram defendere velint. Hoc loco ea in memoriam revocanda sunt, quae supra (p. 149 s.) iam dixi: vinculo quodam poetam nostrum colligavisse matrem terram omnes alentem, matrem liberos educantem, patriam communem omnium parentem, quae iuvenibus defendenda esset.

Optimam speciem Romanae educationis, ut de Magna Matre iam concludatur, praebuit Lucretius, et sane tribus locis. Nam de leonibus loquens liberos

docet officio et disciplina tenendos, de Gallis dicens eos qui indignos se praestiterint e societate hominum et civium expellendos,¹ de Curetibus narrans iuvenes patriam defendere atque parentibus praesidio et decori esse debere, fortasse rem Romanam augendam iis impositam et mandatam esse.

Multa servavit Magna Deum Mater Idaea in Hesperiam advecta vestigia Asiae et terrarum prope orientem solem iacentium, aliena a Romanis, sed tamen poeta Romanus in eam quaedam intexuit, quae ad Romanam indolem accommodata videntur esse.

Sed iam illa quaestio difficillima, quam p. 151 in posterum distuli, iterum capessenda est, utrum Lucretius, quae ad explicandam de Magna Matre fabulam afferret, a veteribus Graecorum poetis acceperit an e suis ipsius opibus sumpserit. Neque BOCKEMUELLERUS ullum poetae Graeci locum cognovit, ex quo Lucretius aliquid illarum causarum mutuatus esset, neque post eum quisquam virorum doctorum — ex iis scilicet operibus quae exstant — invenit. Quoniam tamen BAILEY suspicatur fuisse Graecum fontem, ex quo Romani, Lucretius, Varro, Ovidius, hausissent, haec mihi videntur dicenda. Ovidius causas, quae ipsis fabulis continentur, attulit, ratione et cogitatione nihil fere explicavit, nisi quae Lucretium secutus de feritate mollita dixit. A Varrone quae proferuntur, eius modi sunt, ut non ab ipso inventa sed tradita, fortasse vulgata, ad agricolarum quandam rusticam disciplinam pertinentia videantur. Ita sunt iejuna, nullo fere poetico colore imbuta, neque altius aut excelsius spectantia. Ab iis illae Lucretianae causae multum differunt. Magno vel excellenti ingenio praeditum poetam eas composuisse et in carmen locavisse appetet. Si quem habebat Lucretius fontem, ex eo non temere quidlibet hausit sed subtiliter electa accepit atque in suum carmen accommodavit. Nam ut ipsae res, diva scilicet excelsa, comites vel tumultuantes vel terribiles, soni tonantium instrumentorum, turbae salutantium animos legentium vehementer movent, ita causae rerum a poeta magno pondere nuntiatae studia hominum non retardant at incitant, cum non de nugis quibusdam aut hominum minus eruditorum inventis sed de rebus late patentibus agi demonstrent. Ea saltem quae ad illam educandi rationem pertinent potissimum ipsi Lucretio tribuerim.

¹ Commemorandum est etiam illud Ciceronis (Cat. 1, 28) *at numquam in hac urbe qui a re publica defecerunt civium iura tenuerunt*. Loquitur etiam MOMMSEN (Röm. Strafrecht 1899/1955 p. 256) de certa et constanti ratione (von dem unbestrittenen Rechtssatz), »dass die Perduellen das Bürgerrecht bereits im Augenblick des Delicts aufhebt«. Addi potest apud Romanos exsilium multo graviorem poenam existimari solitam quam nostris temporibus, ubi cives rem publicam administrantibus non grati fines civitatis transgredi potius prohibentur quam iubentur.

Quod autem tantas res caerimoniis Magnae Matris significari Lucretius arbitratur, non singulare quiddam est. Romani enim de eo numine duobus modis, inter se maxime diversis, senserunt. Nam sicut iam demonstratum est, ministros deae detestabantur, ipsam vero populo Romano propitiam esse et virtutem Romanam augere velle credebant. Nam cum bellum Punicum gereretur, inventum est in libris Sibyllinis carmen, quo nuntiabatur hostem alienigenam Italia pelli et vinci posse, si mater Idaea Romam advecta esset (Liv. 29, 11, 5).¹ Vergilius vero (Aen. 9, 77 ss.) Berecynthiam deorum matrem Aeneae in monte Ida classem aedificanti laetam trabes dedit atque a filio Iove petivisse, ne naves ex iis factae ullo cursu neve venti turbine vincerentur; cum omnia quae petiverat non impetravisset, tamen cum apud Laurentum pugnaretur, effecisse, ut quaecumque ex illis navibus supererant non a Turno urerentur sed nymphae fierent. Ovidius (fast. 4, 247 ss.) scribit Magnam Matrem iam Aeneam in Italiam profecturum sequi in animo habuisse, sed tandem cum Roma quinque saecula vidisset, non solum arcessitam sed etiam voluntentem Romam venisse.²

Virtutem vero et bonos mores Romanorum dea mater his modis auxit, Cum legati Romani de matre Romam apportanda Delphis deum consulerent, responsum est inter cetera curare eos debere, ut eam qui vir optimus Romae esset hospitio acciperet (Liv. 29, 11, 6). Cum iudicatus esset P. Scipio adulescens vir bonorum optimus (ibid. 14, 8), is magnum praemium accepit virtutis sua. Item cum inter homines, qui ex ostio amnis Tiberis deam ferebant — re vera lapidem sacrum, qui de caelo ceciderat haud magnus, ut manu portari posset (Arnob. 7, 49) — quaedam Claudia Quinta esset, cuius pudicitia falso suspecta erat, ea deae beneficio probae matronae famam recuperavit. De hac re Livius (ibid. § 8) breviter, Ovidius (fast. 4, 295 ss.) latius narravit: navem in medio fluvii alveo constitisse neque ullum eam fune trahentem movere potuisse nisi illam, postquam deam oravisset, ut pudicam se esse testaretur.

Illis scriptoribus paulo recentioribus, qui de Magna Matre Romanis propitia virtutem Romanam augente narraverunt, Lucretium puto viam monstravisse, cum illam Phrygum deam induceret iuventutem, Romanam scilicet, bonis praeceptis instituentem.

¹ Ita ignotos ritus Cybeles Romanis fuisse arbitratur K. LATTE (Römische Religionsgeschichte, 1960 p. 260), ut senatum, cum Magnam Matrem Romam advehendam censeret, non satis cognovisse putet, quae eius deae cultus vera natura esset.

² Idem LATTE (ibid. adn. 3) putat Vergilium primum illam fabulam, qua Romanos Troia profectos esse narratur, et hanc, quae est de Phrygia Magna Matre, coniunxisse.

Post hanc vero tertiam similitudinem, Curetum dico et iuvenum patriam defendantium, Lucretius quod simul poeta vehementissimus et homo virtutem Romanam magni aestimans contexuit, philosophi Epicurei persona induita totum solvit (644, 5). De ancipitibus sensibus, quorum supra mentionem feci, vix est cur denuo moneam. Sed poetam paulo posteriorem Horatium Flaccum eodem fere modo fecisse commemorans fortasse efficiam, ut etiam sensus Lucretii intellegatur. Nam ille in secundo epodo, postquam vitam feneratoris reprehendit, vitam agricolae magnopere laudavit, sub finem carminis nuntiat omnia quae de deliciis rusticae vitae commemorata sunt, a quodam Alphio feneratore dicta esse, qui tamen paulo post omnem pecuniam — qua villam emere potuit — quasi laudum agrestis vitae oblitus fenori dererit. Tamen neque Horatius neque Lucretius impedire potuerunt, quin verba ab ipsis repudiata multos legentes delectarent, neque hominibus persuadere se laudatas paulo ante res iam nihili facere. Dici potest etiam Lucretium Epicureum, quamvis Magnam Matrem quicquam hominibus praecipere velle iam negaret, non tamen speciem quandam Romanae educationis, quam descripsisset, delere voluisse aut potuisse.

Lucretius igitur de dea matre scripsit liberos constanter instituente, sed poeta eo posterior, de quo iam saepius dictum est, Horatius Flaccus, illam severam matrem nuncupavit cuius nomen tituli loco posui, quae vera mulier temporibus Horatio anterioribus vixit aut vixisse potest.

Horatii quamvis vita et opera notissima sint, tamen pauca de iis rebus in memoriam revocabo. Ille poeta, postquam Maecenatis amicus est factus et Augusti imperatoris de re publica administranda consilia approbavit¹, ad mores Romanorum depravatos sanandos et corrigendos omni studio incumbebat. Hac voluntate adductus praesertim illa sex carmina conscripsit, quae in initio tertii carminum libri collocata hodie odae Romanae appellantur.

Horum carminum ultimo (III, 6) — primum omnium fortasse scriptum est² — poeta narrat Romanos male rem gessisse (vv. 9—12), duos hostes e diversis orbis partibus profectos, Dacos et Aethiopas, urbi periculosos fuisse. Causam malorum fuisse primum deos neglectos, deinde effeminatos iuventutis animos. Praesertim conubia corrupta esse, quod matres voluptatibus, viri nimio vino se dedissent. Filiam paene infantem — de tenero ungui, ait poeta —

¹ Iam ante Actiacam pugnam animum Horatii, qui ad id tempus fuit, fractum et sententiam mutatam censet WILI (*Horaz und die augusteische Kultur* 1947, p. 117 ss.).

² HEINZE, *Vom Geist des Römertums*, 1938, p. 218 ss.

incestos amores meditari, adultam virginem motus lascivos et omnis generis malas artes discere, postquam nupserit, marito iuniores adulteros quaerere et cuilibet, qui pecuniam dederit, gaudia praebere viro nihil curante vel etiam sceleris conscio. Postquam hos mores magna indignatione inflammatus reprehendit et increpavit, contrarios his hominibus inducit ita dicens (33—44):

*Non his iuventus orta parentibus
infecit aequor sanguine Punico
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum,

sed rusticorum mascula militum
proles, Sabellis docta ligonibus
versare glaebas et severae
matris ad arbitrium recisos

portare fustis, sol ubi montium
mutaret umbras et iuga demeret
bobus fatigatis, amicum
tempus agens abeunte curru.*

Opponuntur hic primum Horatii ipsius aetati quaedam tempora veteriora. Nam sua aetate poeta narrat deos neglegi, eorum aedes incuria corrumpi, sine auspiciis in hostes impetus fieri, ideo urbi seditionibus debilitiae iam hostes imminere: illis vero antiquioribus temporibus Romanos et mari et terra ab hostibus infestissimis maximas victorias reportavisse; addendum est, quod concludi potest ex ipsa temporum dissimilitudine, tum deos honoratos et caerimonias rite observatas esse. Fuerunt illa tempora ducentis fere annis ante quam Horatius hoc carmen scripsit, nam extenduntur a victoriis Pyrrhi (a. 280) usque ad victum Antiochum (a. 190) — quo potissimum spatio Roma magna facta est.

Praesertim vero illi luxuriosae et protervae mulieri, quam poeta in media fere carminis parte (21—32) descriptis, haec severa mater ruri parce et simpli-
citer vivens opponitur. Nam de posteritate populi Romani iam desperans¹, sicut ex exitio carminis (45—48) apparet, Horatius illam suae aetatis matronam putat, si ullam prolem pariat, sē ipsā, si fieri possit, vitiosiorem progeniem

¹ Fortasse se desperare simulabat, quo maiore dolore legentes afficeret.

daturam, liberos scilicet malis artibus imbui passuram, hanc vero filios peperisse et ita educavisse, ut corporibus et animis firmi labores militiae sustinuerint atque ad rem Romanam augendam multum adiuverint.

Sed quae de severa matre et eius prole Horatius scripsit si quis attente perspexerit, videbit omnia illa quae de pueris et iuvenibus regendis et educandis praecepsisset Lucretius, cum de leonibus, Gallis, Curetibus ageret, quasi in vera vita ante oculos posita, speciem denique illam Romanae educationis re effectam. Nam mater filios in officio tenet, filii matrem honorantes eius iussu grave opus faciunt, postquam adulti sunt, patriam defendunt atque ita parentibus praesidio et decori sunt.

Rusticorum militum mascula (i.e. fortis et constans) proles dicitur esse haec iuventus. Sed cum de illa domestica disciplina agitur, patris nulla fit mentio: putandus est in exercitu stipendia facere vel proelio iam cecidisse. Sed patre absente labor non intermittitur, fortasse augetur: postquam totum diem caespites ligonibus verterunt aut agrum araverunt, sub vesperum, cum sole occidente etiam fatigatis bubus iucundius tempus venit, matris iussu fustes recidunt et umeris domum portant¹.

Sed ut iam quae de poetis Romanis severam matrem tractantibus dicta sunt in pauca conferam, Catullus deam matrem alienigenam descriptsit austoris tyrannis similem, Lucretius eandem fecit liberis severe moderantem et eos constanter instituentem, ut viri parentes et patriam amantes fierent, Horatius matrem rusticam induxit eos iuvenes educantem, qui Romam magnam fecissent. Idem illi matri opposuit sui temporis matronam impudicam, cuius proles vires non haberet ad rem Romanam sustentandam. Ita civibus persuadere voluit mores corruptos corrigendos esse.

Lucretium putavi duas personas habuisse. Nam plerumque philosophus Epicureus res physicas et ad deos pertinentes diligenter investigatas exposuit, interdum vir Romanus quod Romanae indolis erat verbis expressit. Poetae persona indutus erat et Epicureus et Romanus.

¹ Plura de illis rebus dicere posse sibi videtur HEINZE (comm. 1957). In arduis clivis montium Sabellorum terram arari non posse (*ἐναλλαγὴν* esse 'Sabellos ligones', cum spectentur fines Sabellorum), ideo necesse esse ad glaebas vertendas pro aratro ligonibus uti; quod tamen de iugo bubus dempto diceretur, voluisse poetam quasdam Graecas dicendi formulas Latine imitari. Utcumque est, praeclarum contrarium invenit poeta, cum bubus labore solutis iuvenes opus persequentes opposuit. Iuvenes putat fustes recidere, ut vespere ignis fiat; ad hoc tamen dici potest: si tum demum reciduntur, ex udis adhuc lignis vel truncis molestus fumus exoritur, sicut poeta ipse (sat. 1, 5, 80) testatur. Tamen tenendum est, Horatium non rerum rusticarum scriptoris modo minutissimas res diligenter investigatas exposuisse, sed ut ita dicam paucissimis figuris penicillo ductis tabulam pinxisse, qua tamen illi homines et mores eorum clare conspicerentur.

ADDITUR PARS CARMINIS LUCRETII (II: 600—651)

600 *Hanc veteres Graium docti cecinere poetae
 sedibus in curru biiugos agitare leones,
 aeris in spatio magnam pendere docentes
 tellurem neque posse in terra sistere terram.
 adiunxere feras, quia quamvis effera proles
 605 officiis debet molliri victa parentum.
 muralique caput summum cinxere corona,
 eximiis munita locis quia sustinet urbis;
 quo nunc insigni per magnas praedita terras
 horrifice fertur divinae matris imago.*
 610 *hanc variae gentes antiquo more sacrorum
 Idaeam vocitant matrem Phrygiasque catervas
 dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
 per terrarum orbem fruges coepisse creari.
 gallos attribuunt, quia, numen qui violarint
 615 *Matris et ingrati genitoribus inventi sint,
 significare volunt indignos esse putandos,
 vivam progeniem qui in oras luminis edant.
 tympana tenta tonant palmis et cymbala circum
 concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
 620 *et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis,
 telaque paeportant, violenti signa furoris,
 ingratos animos atque impia pectora vulgi
 conterrere metu quae possint numine divae.
 ergo cum primum magnas invecta per urbis
 625 *munificat tacita mortalis muta salute,
 aere atque argento sternunt iter omne viarum,
 largifica stipe ditantes ninguntque rosarum
 floribus umbrantes Matrem comitumque catervas.
 hic armata manus, Curetas nomine Grai
 630 *quos memorant, Phrygias inter si forte catervas
 ludunt in numerumque exultant sanguine laeti,
 terrificas capitum quatientes numine cristas,
 Dictaeos referunt Curetas, qui Iovis illum
 vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,*****

635 *cum pueri circum puerum pernice chorea*
637 *armati in numerum pulsarent aeribus aera,*
ne Saturnus eum malis mandaret adeptus
aeternumque daret Matri sub pectore vulnus.
640 *propterea magnam armati Matrem comitantur,*
aut quia significant divam praedicere ut armis
ac virtute velint patriam defendere terram
praesidioque parent decorique parentibus esse.
quae bene et eximie quamvis disposta ferantur,
645 *longe sunt tamen a vera ratione repulsa.*
omnis enim per se divum natura necesset
immortali aevo summa cum pace fruatur
semota ab nostris rebus seiunctaque longe.
nam privata dolore omni, privata periclis,
650 *ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,*
nec bene promeritis capitur neque tangitur ira.